

## LA ESCUELA DE RAMÓN LLULL, DE BARCELONA SUS ALUMNOS, LECTORES Y PROTECTORES (\*)

21

Barcelona, 18 junio 1462

*Título de Maestro en Artes a favor de Gabriel Dez-Clapers.*

«In Dei nomine et eius Genitricis Virginis Gloriose. Universis et singulis presentes literas sive presens publicum instrumentum inspecturis.

Nos Bernardus de Granollacho, arcium et medecine professor, cancellariusque universitatis alme Studi Generalis Artistarum et Medicorum civitatis Barchinone, salutem in eo qui pro nobis voluit Iherosonimus Crucifigi humana condicio a sui primordio in lucem inerudita proveniens si sapiencia lumine ilustratur dignis et altis est laudibus extollenda illique gloriosum nomine habere merentur qui longa assiduitate, labore et industria vigilatis per accutissimas doctrine semitas ambulantes ad perfeccionem sui studi inclitam prexerunt, natu cum probi viri premiorum exhibicionem et honoris culmina consequitur ceteri ardencius ad virtutum studia intuitur pro viribus pervenire.

Huic est quod honorabilis Gabriel dez Clapers, oriundus civitatis Maioricensis, Barchinone degens, qui in studio arcium laboriose, laudabiliterque diuturnis temporibus pernoctavit tam in Studio presentis civitatis, quod in diversis aliis locis ubi generale viget studium prout vobis constat apertissime pro processum ipsius sui examinis, tam in vita, moribus et nathalibus, quam in disputacionibus, tam per intencionem quam aliis per eandem publice disputatis sic per Dei gratiam perfecit in arcium sciencia supradicta.

Quod die veneris, decima octava presentis mensis junii, anno a Nativitate Domini millesimo CCCCLXII. ipse honorabilis Gabriel Cla-

(\*) Véase ESTUDIOS LULIANOS, VI, 1962, 187-209; VIII, 1964, 93-117.

pers, presentatus coram nobis per egregium virum dominum Ferdinandum de Ayerba, magistrum in artibus et medicina, et suppositus secreto examini dicti honorabilis Ferdinandi de Ayerba ac nostri prefixi cancellarii et omnium magistrorum collegiatorum dicti nostri Studii, in quadam camera nostri hospicii taliter ipse honorabilis Gabriel dez Clapers se habuit in examine supradicti in artium facultate sepe dicta legendo, repetendo questiones argumenta dictorum magistrorum ac nostri examinantium resumendo, quod post arduam examinationem factam per dictos honorabiles magistros ac nos de eodem honorabili Gabrieli dez Clapers, tam publico quam secreto fuit ab ipsis omnibus doctoribus et magistris et nobis et aliis ibidem presentibus et audientibus, concordi voto juramenta medio deponentibus, approbatus et inventus sufficiens, abtus et idoneus ad magisterii gradum in artibus assumendi.

Nos Bernardus de Granollacho, cancellarius, qui supra auctoritate officii quo funguntur in hac parte dictum Gabrielem dez Clapers, in quadam magna camera dicti nostri hospicii personaliter in nostri presencia constituimus prefata die et juxta eciam aliorum magistrorum dicti nostri Collegii et quam plurimorum aliorum honorabiliorum virorum et hominum diversorum statum ibidem conveniencium in multitudine satis grandi, nominavimus publice et eciam nominamus, declaravimus et declaramus decetero fore magistrum in artibus ipsique honorabili Gabrieli Clapers, humiliter petenti et acceptanti tamquam benemerito et hac promocione dignissimo legendi, docendi, disputandi, desiminandi et interpretandi in catedram magistralem ascendendi, illamque regendi in arte sciencie prelibata et quoslibet alios actus in ipsa sciencia publice exercendi in dicta civitate Barchinone et ubique locorum, ut ipse sciencie magister, de unanimi consilio et assensu doctorum et magistrorum dicti nostri Collegii predictorum ad hec stancium, plenam et liberam licenciam contulimus et concessimus ac tradimus omnimodam facultatem.

Et his peractis incontinenti recepit ipse honorabilis Gabriel Clapers a nobis dicto cancellario insignia magistratus, videlicet, catedram librum clausum et apertum, birretum, anulum et benediccionem paternalem et pacis osculum ab omnibus doctoribus et magistris nostri Collegii superius nominatis, ut ipse honorabilis Gabriel Clapers sic ab omnibus insignitus et coronatus similiter in eterna gloria coroneur per eum qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premisorum, presentes nostras literas sive presens publicum instrumentum per Bartholomeum del Bosch, notarium publicum et infrascriptum et

nostre universitatis scribam, eidem honorabili Gabrieli Clapers fieri jussimus sigillo cancellariatus nostri Studii impendentis muniti.

Datum et actum Barchinone, decima octava die junii, anno a Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, presentibus venerabilis Antonio Salavert, mercatore Barchinone, Johanne de Sancta Lasserio, ville Berge, et Johanne Roig, scriptore habitatore Barchinone.

Vidit Bernardus de Granollacho, artium et medecine magister, cancellarius Studii Medicorum et Artistarum Barchinone».

AHPB. Bartolomé del Bosch, leg. 6, man. 9, años 1462-1463.

## 22

Barcelona, 30 diciembre 1469

*Asignación de censal a los Aniversarios de Santa María del Mar y a la Escuela Luliana, de Barcelona, formalizada por los albaceas de Pedro Pontich.*

«Die sabbati .XXX.<sup>a</sup> mensis decembris anno predicto millesimo CCCC.LXX.<sup>o</sup> (1469).

Nos Bernardus Colomer et Johannes Conomines, chirurgici, cives Barchinone, manumissores et exequutores, una cum aliis predeffunctis testamenti seu ultime voluntatis venerabilis Petri Pontich, quondam chirurgici, civis eiusdem civitatis, prout de ipsa manumissoria plene constat cum dicto testamento dicti quondam Petri Pontich, quod fecit et ordinavit Barchinone, prima die julii anno a Navitate Domini millesimo CCCC. sexagesimo.

Attendentes dictum quondam Petrum Pontich, cum dicto suo testamento instituisse sibi heredem universalem Scolam vocatam d'en Lull, in certo casu qui locum habuit per mortem Nicholaue, filie sue sub hiis verbis:

Omnia vero alia bona mea, mobilia et immobilia, iura, voces et acciones meas quecumque sint et eciam ubicunque sint, dimitto Nicholaue, filie michi et domine Bartholomene, quondam uxore mee comune, instituans dictam Nicholauam, filiam meam, michi heredem universalem.

Verum si dicta Nicholaua, filia mea, vixerit vel non vixerit et michi heres non erit vel erit et decesserit quocumque sine liberis, uno vel pluribus, de legitimo et carnali matrimonio procreatis, in hiis casibus et quolibet eorum, substituo sibi et michi heredem universalem instituo dictam Scolam vocatam d'en Lull, dando et concedendo

dictis manumissoribus meis, quod casu quo dicta mea hereditas vigore substitutionis aut institutionis predictae ad dictam Scolam provenire contingat, petendi, recipiendi et habendi eorum propria auctoritate et absque licencia et auctoritate alicuius curie et persone, omnia et singula bona mea, mobilia et immobilia, habita et habenda.

Et illa que in pecunia numerata non consistant, in encantu publico vendant seu vendi et tradi faciant, et jura et acciones meas seu dicta hereditas mee, cedant et mandent de eviccione caveant.

Et pro ipsa eviccione que vendiderunt cetera bona mea seu dicte mee hereditatis obligent, precia eorum recipiant.

Et apocas faciant et firment et omnia alia faciant que ad perfectionem dictarum vendicionum fieri requirantur et quo eis debere fieri videatur queque ego facere possem si viverem et ipsa precia et alia pecuniam meam seu dicte hereditatis mee, solutis legatis et completis omnibus supradictis, idem manumissores mei, in empzione tot morabatorum alodialium et censualium mortuorum quot haberi poterint, et smercient in loco tuto et securo, ad eorum cognitionem, et ipsos morabatinos seu censualia mortua, assignent jamdicte Scole, pro sustentacione vite magistri et scolarium in dicta Scola addiscencium.

Volens, disponens et ordinans, quod si aliquid ex censualibus predictis redimi seu lui contingat, quod precia eorundem smercientur super aliquo loco et tuto adeo ut dicta Scola et scolares eiusdem valeant provideri et sustentari.

Attendentes inquam dictum Petrum Pontich, in dicto suo ultimo testamento, legasse Scole vocate d'en Lull, quoddam censuale sub hiis verbis:

Item, dimitto Scole vocate d'en Lull, constructe seu edificate coram ecclesia monasterii fratrum beate Marie de Carmelo Barchinone, totum illud censuale mortuum, tam in precio seu proprietate ac pensionibus deinde debendis. Quodquidem censuale mortuum est pensiones annis centum solidorum et proprietatis seu precii centum decem librarum barchinonensium, quod magister Ferdinandus, sartor, civis Barchinone, et domina Eulalia, eius uxor, comorantes in vico vocato de la Mar, dicte civitatis, titulo vendicionis per dictos coniuges michi facte in posse discreti Bernardi Pi, notarii Barchinone, prefati coniuges michi faciunt et prestant et facere et prestare tenentur anno quolibet perpetuo quinta decembris.

Et predictum censuale mortuum dimitto jamdicte Scole eo modo quo quedam domina Mergarita eidem Scole dimisit quoddam censuale mortuum certe annue pensionis, quod dicta domina Mergarita

recipiebat anno quolibet super universitatis ville Castilionis Impu-  
riarum.

Attendentes denique dictum quondam Petrum Pontich, legasse  
anniversariis comunibus ecclesie beate Marie de Mari Barchinone,  
nonnullos morabatinos pro anniversariis faciendis in dicta ecclesia  
sub hiis verbis:

Volens et ordinans quod dicti manumissores mei incontinenti  
post obitum meum, eorum propria auctoritate et sine licencia et auc-  
toritate alicuius curie et persone, ad manus ipsorum recipiant et ap-  
prehendant, omnes illas domos seu hospicium cum uno portali extra  
in viva publica apperienti, in quibus domibus sive hospicio olim so-  
lebant esse tria portalia, cum solo et suis edificiiis ex abisso usque in  
celum, et cum introitibus, exitibus, juribus et pertinenciis suis, quod  
ego titulo mee proprie empconis quam inde feci a manumissoribus  
et exequutoribus testamenti seu ultime voluntatis Bernardi Canet, quon-  
dam, mercatoris, civis Barchinone, cum instrumento publico acto Bar-  
chinone, sub duobus calendariis, quorum primum est nonadecima et  
ultimum vicesima die julii anno a Nativitate Domini millesimo CCCC.  
XXXXVI.<sup>o</sup>, et clauso per Petrum Solerii, auctoritate regia, notarium  
publicum Barchinone, et per eorum beneficiatos nomnie eorundem,  
et sub dominio et alodio predictorum altarium, tamquam laicam et  
privatam personam, ad censum octo morabatinorum anno quolibet  
perpetuo solvendorum in festo Omnium Sanctorum, ad racionem no-  
vem solidorum Barchinone de terno, pro uno quoque dictorum octo  
morabatinorum.

Et ipsis domos sive hospicium, prefati manumissores mei ven-  
dant seu tradi faciant in encantu publico plus offerentibus persone  
seu personis, et pro illis precio seu preciiis aut peccunie quantitibus  
quibus dictis manumissoribus meis fuerit bene visum.

Et jura et acciones meas seu dicte mee hereditatis cedant et man-  
dent, de eviccione caveant. Et pro ipsa eviccione cetera bona mea et  
hereditatis mee obligent, precio eorum recipiant et apocam faciant  
firmem de eisdem.

Et omnia alia faciant que ad perfeccionem predictorum fieri re-  
quirantur, et que eis fieri debere videatur queque ego facere possem  
si viverem et ipsum precium seu peccunie quantitates que ex dictis  
domobus seu hospicio processerint convertant idem manumissores in  
empcione tot morabatinorum seu censualium mortuorum in loco tuto  
quot haberi poterint ad eorum cognicionem.

Et ipsos morabatinos seu censualia mortua assignent ecclesie beate  
Marie de Mari, pro anniversariis in eadem ecclesie fiendis anno

quolibet perpetuo, pro anima mea, parentum meum et omnium fidelium defunctorum.

Fuit assignatum dictum censuale in precio et pensionibus debitis et debendis anniversariis ecclesie de Mari et Scole d'en Lull, communiter et pro indiviso.

Testes etc.: venerabiles Nicholaus Julia, mercator, Andreas Clotes, candelarius, cives, et Bernardus Vila, scriptor Barchinone.»

AHPB. Dalmacio Ginebret, llig. 1 man. 2 años 1469-1470.

## 23

Barcelona, 18 Febrero 1479

*Juan de Masguillem, testigo de la cesión de crédito otorgada por Francina, viuda del notario Juan Osona, a Esteban Salaverdenga.*

«Dicta die jovis .XVIII.<sup>a</sup> mensis febroarii anno a Nativitate Domini millesimo CCCCLXXVIII.<sup>o</sup>.

Ego Francina, uxor discreti Johannis Osona, quondam notarii civis Barchinone, insolutum et satisfaccionem illarum viginti quinque librarum Barchinone, per me debitarum vobis Stephano Salaverdenya, paratori civi Barchinone, facta per vos michi gracia de residuo ratione plurium pencionum per me vobis debitarum ex illo censuali mortuo pencionis annue quinquaginta solidorum barchinonensium, quod ego vobis facio et presto anno quolibet decima sexta mensis januarii, cedo vobis eidem Stephano et vestris, omnia jura, [et] acciones michi competentes contra Petrum Moner alias Perrinet, sartorem ville Oloti et dominam Blancham, eius uxorem, et in omnibus pencionibus per dictos conjuges michi debitis et de cetero debendis, ex illis duabus censualibus mortuis, unum videlicet pensionis annue...

Testes discretus Ludovicus Castellet, prebiter beneficiatus in sede Barchinone, Johannes de Masguillem, studens in Sciencia magistrum Raymundi Lull ville Perpeniani».

AHPB. Bartolomé Costa, leg. 8, man. años 1478-1479.

## 24

Barcelona, 16 octubre 1479

*Poderes otorgados por Pedro de Mena, lector de la Escuela Lulliana de Barcelona, a fray Miguel Dez-Clapers, prior del monasterio de la Cartuja, del reino de Mallorca,*

«Die sabbati .XVI. octobris anno a Nativitate Domini M.<sup>o</sup> CCCCLXXVIII.<sup>o</sup>.

Noverint universi. Quod ego Petrus de Mene, bacallarius in artibus, lector Scolarum Magistri Raymundi Lulli in civitate Barchinone, ex certa sciencia constituo et ordino procuratorem meum certum et specialem et ad infrascripta etiam generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget neque e contra vos reverendum fratrem Michaelem dez Clapes, priorem monasterii de Cartoxa, in subscripto regno Maioricarum, licet ab hiis absentem tanquam presentem, ad petendum, videlicet, exigendum, recipiendum et habendum pro me et nomine meo, illas viginti libras et sexdecim solidos monete Maioricarum, que michi ut lectori dictarum Scolarum debentur pro universitatem civitatis et regni Maioricarum, ratione illius censualis mortui consimili peccunie quantitatem quam dicta universitas prefatis civitatis et regni, lectoribus Scolarum dicti Magistri Raymundi Lulli, facere et prestare tenentur annis singulis in mensis octobris. Et de his que receperitis apocham et apochas faciendum nomine meo et firmandum et demum ac generaliter omnia et singula alia faciendum et libere exercendum in predictis et circa ea et super dependentibus seu emergentibus ex eisdem quecumque ad hec utilia fuerunt et necessaria ac etiam oportuna queque ego facere possem si adessem.

Ego enim confidens de vobis dicto reverendo procuratore meo, trado et comitto vobis in et super predictis et circa ea plenarie vices meas cum plenissimas potestate et facultate. Promittens vobis notarii que etiam infrascripto tanquam publice persone pro vobis et vestris et aliis quorum intersit recipienti et legitime stipulanti et me semper habere gratum et firmum quicquid per vos dictum procuratorem meum in premissis et circa ea pro me et nomine meo procuratum et actum fuerit sive gestum et nullo tempore revocare sub honorum meorum omnium ubique obligatione.

Actum est hoc Barchinone, XVI.<sup>a</sup> die mensis octobris anno a Nativitate Domini millesimo CCCCLXX nono.

Signum Petri de Mene, predicti, qui hec laudo et firmo.

Testes huius rey sunt discretus Vincencius Barril, clericus residens et Jeronymus Ça Font notarius habitator Barchinone».

AHPB. Antonio Vinyes, leg. 27, man. com. 55 años 1478-1480.

JOSÉ M.<sup>a</sup> MADURELL MARIMÓN  
Barcelona

(Concluirá)